



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

S. Crucis Vallis, antiquitus Aquarum haustus vulgò Wasserschapffen/ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

Maximilianus vixit per mensem in monasterio S. Crucis.

3. *Bartholomæus Bochsbornius*, ex Weiffenhorna natus, totius ordinis Benedictini visitator, virque omnino strenuus morumq; acerrimus censor, constituitur Abbas anno 1485. Præfuit 32. annis feliciter, bonus œconomus & cœnobii hujus penè secundarius fundator. Sub cujus gubernatione optimus imperator, Divus Maximilianus, per mensem integrum aliquando in hoc cœnobio vixit, ubi ille facellum perelegans (quod in hunc usque diem Imperatorium vocant) de suo construxit, addens etiam insigne monumentum argenteum magni ponderis, quod Monstrantiam vel portatilem Sacramenti loculum vulgus sacerdotum vocat. Obiit Abbas iste anno 1517. relinquens 30. milia aureorum.

4. *Franciscus Rbear* Werdensis eligitur anno Christi 1517. Præfuit 2. annis & ab Episcopo Augustano Christophoro exauthorarur & ad perpetuos damnatur carceres ob enorme crimen anno Domini 1519.

5. *Joannes Lenerus*, patria Ulmenfis, præclarus musicus, eligitur anno 1519. Præfuit 3. annis. Obiit anno Christi 1522.

6. *Nicolaus Haiderus*, ex Werdæa natus, vir eximie doctus præsertim in sacris Scripturis, mediocris etiam versifex, ex Ingolstadiana Academia accitus, eligitur anno Christi 1522. Præfuit 5. annis. Resignavit anno Domini 1527. & ex cœnobio in Helvetios discessit.

7. *Thomas Romanus*, Suevus, ex Auffkirchio celebri marca Oetingensium Comitum natus, eligitur anno 1527. Præest adhuc currente hoc Jubileo. Vidit anno 1547. monasterium suum misere diripi ac vastari à Schmalcaldici fœderis monachorum studiis non admodum propitiis affectis.

S. CRUCIS VALLIS, antiquitus Aquarum haustus vulgò *S. Wasserschapffen*/ forte ab irriguis fonticulis, quos tota habet circumfita vicinia pene innumeros, postea vero à S. Crucis particula (quam secundus fundator, Comes Ego de Willensteten & Gruningen, dicitur furtim ex Augia divite sustulisse) aliter nominatum: præclarum ac magnificum Cisterciensis instituti monia-

monialium nobili stemmate natarum cœnobium, supra Riedlingum in Suevia sub Salemitani Abbatis visitatione in Episcopatu Constantiensi situm, fundatum legitur annum Christi circiter 1140. vivente adhuc D. Bernhardo, Cisterciensis ordinis auctore, pro sexaginta monialibus, à quibus vero regulis, id ex memoria hominum in oblivionem venit. Aliqui tamen Equitem quendam auratum de Althi primum locum & fundum ipsum primis fororibus dedisse affirmant. Postea vero, cum in bellicis tumultibus eversum cœnobium esset, instaurari & quasi de novo fundari ceptum est annum Christi circiter 1230. ab Egone seu Hegone, Comite de Landaw, filio Ludovici Comitis, ex Clementis Comitis Hohemburgensis filia, Domina Agatha, octo filiarum & quinque filiorum matre. Benefactores vero monialium hujus congregationis leguntur fuisse maximi, Comites de Wullenstetten, & Hartmannus junior, Comes à Gruningen & Landaw, qui pro se & conjuge sua Hedvige, filiisque Ludovico, Comite & parcho Constantiensi ad Nicrum, Conrado & Eberhardo, dono dedit Abbatissæ & conventui S. Crucis Vallium jurisdictionem pagi & totius ecclesiæ Andelfingensis, in eadem vicinia positæ. Ego Comites de Landaw, Wullenstetten & Gruningen, unam familiam fuisse, ex veteribus tumulorum inscriptionibus facile colligere potui, & à diversis castris alios ejusdem gentis alio cognomine fuisse appellatos. Est in eodem cœnobio insignis sepultura Comitum de Landaw & Gruningen: Nobilium item virorum ab Hornstein, qui magni dicuntur fuisse ejusdem cœnobii benefactores. Abbatissarum ejus loci talis extat catalogus.

Abbatissarum series.

1. *Hailwigildis*, Comitissa de Landaw, fundatoris foror, obiit anno 1240.
2. *Bertha*, Baronissa à Justingen, præfuit annis 26. Obiit anno 1266. Kalendis Martii, cum paulo ante emisset ab Anshelmo de Justingen possessiones quasdam in Andelfingensi pago.
3. *Lucia* præfuit anno Domini 1277.
4. *Adelheidis* Comitissa à Landaw resignavit anno 1300.
5. *Irmelgardis* ab Hettenstein resignavit anno Christi 1307.
6. *Elisabeta*, Baronissa à Stoffeln, obiit anno 1312.

Eee 3

7. Hele-

7. *Helena Murtzelerin* præfuit adhuc anno 1325. Hujus temporibus, Eberhardus & Conradus à Landow vendiderunt quædam bona huic Abbatissæ, quæ Bienburgenfium Comitum antea fuerant. Id factum anno 1318. Resignavit anno 1326.
8. *Mechtildis Grossina*, Comitissa à Veringen, legitur præfuisse anno 1332. quo resignavit.
9. *Anna*, Comitissa à Sultz, præfuit annis 22. & obiit Abbatissa anno Christi 1354. Hujus ad extremam senectutem redactæ coadjutrix fuit Domina Adelheidis ab Hornstein.
10. *Bena Murtzlerina* præfuit adhuc anno 1359. & resignavit.
11. *Anna ab Hornstein & Hofingen* præfuit adhuc an. 1363. & 1365.
12. *Mechtildis Wildina* præfuit anno 1367.
13. *Anna ab Andelfingen* præfuit anno 1369.
14. *Gertrudis Hertina* ab Herdtneck præfuit 14. annis, & obiit anno 1384.
15. *Catharina Gerbiniana* præfuit 9. annis. Obiit anno Christi 1393.
16. *Margareta Emmerina* à Nuyhusen præfuit 26. annis. Obiit Abbatissa anno 1419.
17. *Adelheidis ab Hornstein* præfuit tempore Constantiensis Concilii. Obiit in gubernatione.
18. *Mechtildis à Schaffhusen* præfuit anno 1424. Resignavit.
19. *Agnes ab Hornstein* præfuit anno 1425. & 1443. Resignat.
20. *Anna Gremlichina* præfuit anno 1446. & anno 1450. Obiit anno 1480.
21. *Ursula Besserina*, Ulmensis patricia, eligitur anno 1480. Obiit anno 1484.
22. *Anna Wildin* præfuit anno 1490. Resignat.
23. *Anna Gremlichina* Abbatissa præfuit 30. annis laudabiliter. Obiit anno 1521.
24. *Veronica à Rietheim* præest adhuc currente hoc Jubileo septuagenaria, & vere secunda ejusdem cœnobii fundatrix, quæ multa

multa præclara & vere regia ædificia ex imis fundamentis erexit & feliciter absolvit. Templum renovavit, & insignem puteum ex quadrato marmore maximis sumtibus in singulare ac utilissimum cœnobii ornamentum fieri fecit.



S GALLI, aut (ut vulgo appellant) Sangallensis Abbatia apud Helvetios longe potentissima, quæ est sita intra muros urbis Sangallensis, & totam ferè Thurgoviam Comitatumq; Dockhenburgensem sub sua potestate habet, ædificari & extrui cœpta & illustrata est, non Dagoberti Magni Galliarum Regis, ut aliqui nugantur, sed Sigeberti Aufrasiæ Regis, & Fridbergæ conjugis ejus, Contzonis vel Gunzonis, Suevorum Ducis, Uberlingæ tunc temporis ad lacum Acronium residentis filiæ (quam S. Gallus à demonio liberarat) impensis, donationibus, sumtibus ac immunitatibus, ad S. Galli Scoti (de quo infra plura) Alemannorum Apostoli petitionem anno Christi 630. sed absoluta & perfecta annum Christi circiter 640. Templum, quod hodie adhucibi conspicitur pulcherrimum ac amplissimum, extructum est anno 830. consecratum anno 836. ab Hunnis vastatum ac spoliatum est anno Christi 937. Hæc Abbatia postea ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, Comitibus ac Baronibus multis, imprimis vero ab Hedowige, Comitissa de Eberstein, Imperatoris Henrici Aucupis filia, ita est locupletata & aucta, ut aluerit olim Canonicos 150. & Abbas Sangallensis legatur mille equitum comitatu Argentinam esse ingressus anno Christi 1361. cum Waltherus, Baro à Geroltzeck, in Episcopum Argentinensem electus introduceretur. Dedit hoc monasterium toti Germaniæ multos eruditos homines, multosq; Episcopos Constantienses, ac variis Germaniæ monasteriis Abbates: & dicitur habere nobilissimam (studio & industria monachorum in macrocolo scriptis optimis quibusq; authoribus) innumeraq; optimorum codicum multitudine refertissimam Bibliothecam. Oppidum ipsum Sangallense annos ante quingentos fossis & mœnibus muniri cœpit: id olim in potestate Abbatis erat, nunc vero Helvetiorum Oetopagenium societati & confœderationi conjunctum est. Sangallensis

Abbas pomposus.

Bibliotheca S. Gallensis. Oppidum S. Galli.